

**Disputatio medica inauguralis, sistens aegrum dysentericum ... / praeside  
D. Rudolpho Jacobo Camerario, ... pro licentia ... publico eruditorum  
exameni submittit Johannes Andreas Planer, Freudenstadiensis. Ad diem  
Decembr. A. MDCCIX.**

### **Contributors**

Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721  
Planer, Johann Andreas, active 1709  
Reis, Johann Konrad, -1719  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Typis Johann-Cunradi Reisi, [1709]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rdsczp6s>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
SISTENS ÆGRUM  
DYSENTERICUM,

QUAM

*In Almâ Eberhardinâ,*

EX

Decreto Gratiôsæ Facultatis,

PRÆSIDE

D. RUDOLPHO JACOBO  
CAMERARIO,

Medicinæ Professore Ordinario,

*PRO LICENTIA*

SUPREMOS IN MEDICINA HONORES  
LEGITIME CONSEQUENDI,

Publico Eruditorum examini submittit

JOHANNES ANDREAS PLANER,  
Freudenstadiensis.

*Ad diem Decembr. A. MDCCIX,*

Loc. & Hor. Solit.

---

TUBINGÆ,


Typis JOHANN-CUNRADI REISL





*Terum disputandum est, Ben. Lect.*

*non videbor tamen proflire arrogans, qui per Statuta Facultatis Medicæ ad disputandum pro gradu obligor. En igitur thema practicum, quod elegi ex publicâ nuper infirmorû miseriâ, quia morbus & remedium disceptationi subjacent mûlta atque longa. Non quasi agrum quo curavit tempore destinarit disputationi medicum, sed quòd casus illius & hujus processus benè mihi fuerit visus convenire ad institutum tale. Sistitur hinc Tuo ille iudicio, bonâ fide, nihil immutatus, non prescribitur Tibi norma, cui obligeris observanda, sed relinquitur tuæ prudentiæ, numquid ibi sit in rem tuam vel tuorum, aut si mavis subjicitur censure Tuæ benignæ, non iniquæ, omnis disputatio; nam nec talem discendi subterfugiam occasionem. Meum est, tentare ita porrò applicationem generalium ad specialia, & studere collectioni universalium ex singularibus: Quod ut fiat feliciter, salvâ conscientiâ, bono agrorum, ad honorem DEI, faxit philantropia Soteris, nobis absolutè necessaria!*

 Um in vicinis pagis æstate nuperâ jam grassaretur, in urbe modò inciperet dysenteria, inter primos fuit Adolescens Studiosus, qui ad noctem inter ultimum Julii & primum Augusti, non aliâ præviâ alteratione, quàm cum dolore capitis, illâ corripiebatur, ita citò invalescente, ut quereretur, se per primam eam noctem alvi stimulo coactum ad sellam plusquàm trigesies, & per diem hinc multo pluries, mucoso liquamine non adeò quidem multo, sed sat citò cruori permixto, à torminum & tenesmi violentiâ expresso. Cùm

porrò hic æger à sesquiunciâ olei amygdalarum dulcium nec  
nauseam sensisset, nec vomuisset, post meridiem à drachmâ  
pulveris pannonici, & ad noctem ab eodem diasordij quanto,  
tamen insomnis, inquietus sub dolorum vehementiâ & præ-  
cipiti alvinarum dejectionum frequentiâ malè admodum se  
haberet, citò nimis languens, materque sollicita substrato-  
rum linteorum cruentationem largiori menstruationi com-  
pararet; Itaque rebus sic se habentibus præviâ maturâ deli-  
beratione à mane secundi Augusti hâc curationis methodo  
tractari cœpit.

Scilicet inter sextam & septimam matutinam hauriatur  
sequens: R. Myrrha elect. mastich. el. nucis mosch. pulv. anodynî,  
extr. bezoardici ana gr. j. cori. chaquerill. gr. v. peruvian. drachm.  
semis, aq. papav. err. sesquiunc. syr. papaver. erras. drachm.  
duas. M. D. Post nonam calidè sorbeatur infusum herbarum  
& florum scordii, hyperici, millefolij; cum gumm. arabic. traga-  
canth. ana gran. quindecim. Reiteretur haustus ille ad tertiam  
pomeridianam: Et gumm. cum infuso ante quintam vesper-  
tinam. Si quid ultra per diem velit æger, habeat mixturam  
cochleatim sumendam ex aq. cinamom. cydon. semiunc. cor-  
dial. frigid. tormentill. aa. sesquiunc. sacchar. candi drachm.  
duabus semis, corallor. r. corn. cerv. ust. crystall. ppt. aa. scrup. un.  
M. D. Noctibus autem destinabatur alternis theriaca androm.  
drachma semis, & triga pilul. theriaca cœlestis. Extus illine-  
batur venter oleo mastichino cum illo nucista expresso: Imposi-  
tis mox sacculis flor. verbasco. herb. menthe repletis; Scrobicu-  
lo autem cordis empl. d. tacamahacâ. Sedibus subjiciatur ca-  
lor ollæ à lacte cum incocto verbasco. Quemadmodum me-  
dicamentis illæ, ita suæ alimentis consent horæ, quas obser-  
vare, non temerè prætermittere fas sit, extra ipsas abstinebit  
ab aliis; eò facilius, quò minus viget appetitus. Quia verò  
laudata tunc aliis diæta lactea nostro non placuit, igitur pul-  
ticulis,

ticulis, cremore hordei, & oryzae sustentabatur, cum gelati-  
nâ cornu cervi & eboris. Vino erat interdictum; & omni potu  
frigido, largo, intempestivo, nondum quidem urgente siti,  
quam temperabit quoque infusum. Pro decocti tamen or-  
dinarii mensurâ unâ sint hæ species: ℞. *rasur. corn. cervi.* unc.  
un. *corn. cervi. ust.* semiunc. *cinamom. opt.* drachm. *nuc. mosch.*  
scrupul. *mastichis.* scrup. duos. M. D.

Huic methodo insistere, non temerè mutare medica-  
menta, nec facilè transire ad alia, videbatur consultum, per  
dies sequentes, usque ad septimum inclusivè; quia nihil per  
illos superveniebat novi, æger autem ista ferebat benè, sen-  
sim proficiens in melius. Continuabantur ergò & reitera-  
bantur singula quotidie, nisi quòd potiunculas recusanti  
præscriptus fuerit ipse pulvis, cum vehiculo tamen eodem  
aquæ & sirupi illius, separatim. Interim capitis dolor remi-  
serat, supererat modò quædam ejus gravitas, durabat anore-  
xia, non nimia urgebat sitis, calor vehemens non erumpe-  
bat, nisi vesperâ secundi ad ruborem faciei, urina non po-  
tuerat monstrari, quia per vim alvi simul exprimi solebat,  
pulsus à celeritate sensim accedebat propius ad naturalem,  
nec vomitus nec singultus superveniebant; mirabantur ad-  
stantes, ante meridiem tertii post improvisam ab infuso tor-  
minum exacerbationem exclusas fuisse binâ vice fæces na-  
turales, cum manifestâ dolorum mitigatione. Atque ita ver-  
sus finem primæ septimanæ cruor rarior & parcior, cum sub-  
fusco mucò & fæcibus mixtus aut alternans, tenesmus re-  
mittens, tormina mitiora, quies & somnus noctu & à meri-  
die per horam fortè ac ultrâ, (nisi quòd manè quinti nuncia-  
batur nox incertâ de causâ minus bona, ad diem tamen me-  
liorem) spem bonam faciebant exoptatæ citæ declinationis.

Et septimus utique illuxerat bonus admodum, surgebat  
æger, mittebat urinam primam citrinam, claram, cum nube

per imum, post moram cum cuticulâ desuper, vitro hinc obductâ. Verum enim vero per vesperam audiebantur novæ querelæ de torminibus, cum novo cruore; & post noctem à theriacâ meliorem, per diem urgebant iterum torminosæ tenesmodes dejectiones minimùm viginti, mixtæ materiæ, utut non multæ, cum oppressione præcordiali, tanquam novo symptomate. Suspectus hic relapsus cui deberet impu- tari, vel eâ de causâ dubios tenuit animos, quoniam adstan- tes ullâ in parte commissæ culpæ volebant esse conscii: Tandem æger ipse fassus est, se die septimo à meridie, & hoc octavo circa quintam matutinam è lecto in camerâ surre- xisse & decocti sui duo pocula frigidiuscula exhaustisse; dies verò illi videbantur autumnales potius, quàm æstivi.

Fuerat autem intentio medici, cum modò declinaret morbus, etiam præscriptorum doses minuere. Nec per diem octavum ab hoc proposito desistere placuit, intento in horas ad omnem successum oculo; sed accuratiore cautelâ ægro & adstantibus enixè commendatâ. Ita sub ulteriore priorum usu, & externo *spiritûs matricalis & vini camphorati* cum ana *olei mastichini*, obtinebatur cita dolorum remissio. Hinc ve- rò per noctem infomnis quidem, dolorum tamen expers, alvo non nisi semel solutâ, manè non æquè de torminibus, ac de languidâ lassitudine querulus æger, *vini* modicum enixè desiderabat: Itaque ad prandium pro clausulâ vini pauca cochlearia cum pane saccharato concessa fuerunt, die illo, & sub bonâ ejus tolerantia, sequentibus. Medicamentorum autem formulæ, per hanc quoque septimanam eadem, dosi modò minores, sunt sequentes: *R. cort. chaquerill. gran. quin- que, peruvian. drachm. sem. gran. quinque, myrrha, mastichis, zuc. mosch. pulv. anodyn. extr. bezoardic. aa. gran. unum. M. div. in duas part. æq. pro hor. sept. & tert. Pro nonâ & quin- tâ illorum gummi scrupulus, cum infuso pristino.* Item non nisi

nifi scrupulus *theriaca*, ad noctes alternas cum pilul. *extract.*  
*bezoardic.* gran. quinque, *china*, *papav. err.* *tormentill.* ana gran.  
duobus.

Sub horum usu æger vi morbi consumptus & delassatus  
ita resurgebat, liberabatur ab alvi fluxu, ac doloribus, ut ad  
finem secundæ septimanæ omninò nihil amplius cruenti  
compareret, rediret nocturna quies, vigente appetitu, mit-  
teretur urina naturali similis. Itaque per tertiam septimanam  
pro complemento curationis: *R. pulv. analeptic. frig. antimon.*  
*diaphor.* ana scrup. sem. *cort. chaquerill.* gr. quinque, *peruviani*  
drachmam, misc. divid. in quatuor part. æqual. per totidem  
dies manè sumend. A meridie & ad noctes electuarium:  
*R. conserv. rosar. rubr. damascen.* ana unc. un. *conf. alkerm. compl.*  
*corall. r. ppt. antim. diaphor.* ana drachm. unam, *syr. papav. er-*  
*rat.* q. s. Sub commendatione ulterioris usûs *gelatine* cum  
cibus, & observandæ adhuc bonæ diætæ.

**A**D resolutionem hujus casûs spectarent tria, causæ spe-  
cialius hunc annum, morbum & ægrum concernentes,  
rationes symptomatum, & examen curationis, nisi pagel-  
lanum angustia unum de tribus excluderet. Hoc quidem  
mihi non sumo, ut illam in epidemiis quoque morbis ma-  
gnam naturæ obscuritatem ad manifestas causas me revoca-  
turum promittam, tentabo tamen applicare, quicquid di-  
sponere videtur vel movere naturam humanam ad affectum  
adeò dirum atque foedum. *Hippocrates* per sectionem ter-  
tiam aphorismorum post observationem generalem, quos-  
dam morborum in quibusdam *anni temporibus* magis fie-  
ri, quàm in aliis, & *naturarum* quasdam ad hanc, alias ad  
alteram anni partem benè aut malè se habere, *diarrhæam*  
in specie adscripsit *æstati*, *dysenteriam autumno*, & hujus  
ulteriorem distinctè fecit mentionem *triplicis*: *Prima*,  
*hyemem siccam & aquiloniam*, ver autem *pluviosum & au-*  
*strale*



strale infecutæ; *alterum* post australem hyemem, siccum autem ver & aquilonium; *tertia* in siccitatibus, per squa-  
lores. Idem porrò, qui alibi *formas humidi* proposuit *qua-*  
*tuor*, ex quibus morbi oriantur, *æstati & autumno bilem*  
& *aquam*, fontem illi hepar, huic lienem, assignavit, tanquam  
illis anni partibus potissimum gigni, augeri aut moveri so-  
litas. Denique ex primâ sect. aph. *ventres* hyeme naturâ  
calidissimos, & vigori tum appetitûs cibi plus dandum esse  
monens, naturæ interioris & inferioris sub & ab æstate con-  
ditionem lege contrariorum videtur voluisse annuere. Illa  
*nostri* dysenteria fuit *æstiva* præcox, apud alios in autumnum  
utique protensa, sed ut primum tamen sui ortum debeat æ-  
stati, communiter per augustum & septembrem frequentior:  
*Autumnus* verò propter morbos acutos & perniciosissimos  
malè audit *Coo*. Ex tribus autem illis anni constitutioni-  
bus huc minus quadrat secunda vel tertia, sed potius pri-  
ma: Non fuit *æstas nupera*, qualis debebat calida, sicca, con-  
stans, sed tempestuosa, fulminatrix, grandinosa, nimis multas  
& largas tulit pluvias ad usque suspectam illam *exunda-*  
*tionum frequentiam*; idque, ut habeatur ratio successionis tem-  
pestatum, & attendatur, ex qualibus ad quales fiant permu-  
tationes, post *hyemem* insolitam acrem, gravem, ad inæ-  
qualem autumnus inconstantiam. Deducitur ab illo humidi  
excessu vulgo strages *ovium*, nam plerique greges infra alpes  
periclitantur, salvæ quæ in alpibus per æstatem fuerunt pa-  
stæ: Diciturque illarum imprimis hepar affectum verminoso-  
sum, quasi hirudinibus, *egelm*, obsessum, coctione non indu-  
rari, sed in pulvem solvi. Ab illâ intemperie temporum anni  
in aphorismo dicuntur tales morbi fieri *ex necessitate*: Com-  
mentatores quidem communius talium aphorismorum ra-  
tiones quærunt, quàm quòd sint solliciti de fide historicâ;  
num dysenteria e. gr. & tempestatum illæ anomalix talem  
adhuc

adhuc apud nos observent nexum. Certè *primus commenta-*  
*torum*, qui supersunt, licentiam sibi sumsit dubitandi, an *Hip-*  
*ocrates* ista scripserit rei naturâ persuasus, an sufficiente ob-  
servationum numero confirmatus? Cui subscribunt, quot-  
quot aliquid altius requirunt istis manifestis qualitatibus, in-  
geni occultarum confessores, vel accersunt effluvia athmo-  
sphæram inquinantia, aut influxum peregrini ætheris, ascen-  
dendo ad ipsam cœlorum constitutionem, quidnî ad illud  
Senis nostri *divinum* in morbis, quod per providentiam divi-  
nam benè atque piè explicabitur. Idem quotannis ordo  
mensium, solis idem ad terram respectus, non idem tamen  
annus, qui fructificat, modò benè modò malè, fert morbos  
frugum, qualis *ustilago*, de quâ nuper, & fert morbos homi-  
num: Qualium causam illi, quibus *quæ supra nos nihil ad nos*,  
quærent hîc infra, in ipsâ terrâ & aere, benè, nisi quòd unius  
æquè ac alterius rationem ignoramus, quamdiu ad com-  
mune utriusque principium non pertingimus. Nostri tamen  
ægri dispositio, quæ non est ex crassioribus aut durioribus,  
sed tenerior, à mutationibus illis temporum eximi vix potest,  
taliū enim natura minus firma plerumque universi natu-  
ram non superat.

Porro, *æstivus* Hippocratis *humor* si explicetur per san-  
guinem biliosum, arguet ipsum fluxilem, mobilem, si ab he-  
pate secretum humorem, sic dabit alvi stimulum, si verò cru-  
ditatem primarum viarum biliosam, tunc assumptorum ha-  
bendam simul rationem monebit, de quibus statim. Ita  
bili aquam aut melancholiam vel miscebit vel subjunget sive  
diæta, sive autumnus. Ad *ventres* autem hyeme calidiores ita  
commentatur *Galenus*, ut *spiritum* ac *sanguinem* ad profundum  
corporis tunc secedere velit, evocari autem per æstivum calo-  
rem, diffundi in exteriora, ad languorem naturæ, dum per oc-  
cultam distensionem tam superflue quàm utilis materiæ nimia  
fit dissipatio. In quâ quantū momenti situm sit, per *staticam* su-

am *medicinam* declaravit Ille, qui & hunc ibi reliquit aphorismum: *ventriculum robustum per diapnoen, minus autem talem per urinam, & debilem magnâ ex parte per chylis corruptelam plenitudinem ciborum absumere.* Quò respexit etiam Ille, qui clavium custodiam assignavit *pyloro*, hunc autem subjecit *felli*, & alvi fluxus ab *erroribus* illius *rectoris* deduxit. Sic, quæ auctâ diaphoresi urinam minueret, siccaret alvum æstas, hanc tamen fluere faciet, vel per acriorem intestinorum stimulum, vel per humiditatis imbibitæ, non diffatæ, à restrictâ peripheriâ importunè reflexæ superabundantiam putredini obnoxiam. Sic ab anno datur naturæ occasio motum & evacuationem humorum modificandi per affectum ita corpus diversimodè.

Tali *intemperiei publicæ, & idiosyncrasia* privata, Hippocrates rectè insuper addidit pro complemento ætiologiæ *diætam*; quis enim pravam victûs rationem magni esse momenti dubitet. Quanquam præter infantes adulatorum fortè unus & alter invenitur, qui sic vixisse videtur, ut mirum sit ipsum diarrhœâ vel dysenteriâ epidemiâ corripit; Quanquam etiam hic annus ob gelu hyemis & rigorem Maji parcè admodum tulerit illos *fructus horæos*, qui aliàs malè audiunt: Vel enim nulla vel pauca & fera magis cùm ægrotaret noster fuerunt pruna præcocia, damascena, pyra, persica, nuges juglandes, uvæ, &c. Fraga tamen, cerasa, ribes, baccæ rubi idæi huic ætati, huic vitæ generi convenirent, provocare appetitum nostri potuissent. Talia autem per se sunt facilè corruptibilia, & passim in suspicionem veniunt suscepti undecunque vel ab aëre vel insectis venenati miasmatis. Nondum in lucem protractum est, si quod ex uno trium regnorum specificum venenum in hominem penetrat, primas ita vias infestaturum. Hîc incidit, quod sub finem æstatis observata fuerit extraordinaria *erucarum* multitudo, & dubium moverit aliquibus, an eadem modò temperies faveat  
*ipsis*

ipsis & morbo? an verò & quantum culpæ illis imputari debeat? Ad finem tamen Julii nondum vescebamur brassicâ, quam depascebant illa insecta præ reliquis oleribus.

Comitatur & sequitur interdum etiam *castra* hoc malum. Hoc anno durante prohdolor bello milites tamen per Dei gratiam in patriam non penetrarunt: Uti quidem factum anno *seculi septimo*, quo irruptio hostilis brevi post se traxit dysenteriam illam, urbi non uni tunc gravem, ad & in nostram tamen non pertingentem. An ergo lues hæc, ut aliæ solent, successione annorum vagatur & extendit se latius per provincias? Dolendum, per hyemem illam nostrâ memoriâ sine pari, nec insectorum nec morborum seminium ita potuisse deleri, quin decursu anni pullularint denuò abundè.

Quandoquidem porrò inter primos fuit noster, nec quantum constat, cum dysenterico quocunque priore quidquam commercii habuit, igitur tam nulla suppetit consternatio *animi* vel cohorrescentia prævia, quæ morbosam impresserit *ideam*, quàm dubium aut occultum arguitur, quod apud alios subesse solet, *contagium*. Ubi paucis & hoc addam: Neminem ultrà domesticorum dysenteriâ fuisse correptum, utut in viciniâ hinc laborarint plures; Soror autem Septembri morbillos superavit benignos. Undè duo supersunt pro declaranda ægri & anni constitutione: Primò huc spectant *febres intermittentes*, urbi diu graves. Aeger enim modò quidem liber, olim tamen illas passus fuit nec semel nec leviter. Et *Augusto* mense per nuperos annos febris illa communiter tam plures corripuit, quàm invaluit ad continuam periodicam, si placet hemitritæum. Secundò ab æstate illâ in autumnum affectus urbi incumbentes hos diversos tenuerunt modos motusque: Ad alvum *cholera*, paucis funesta, & frequentior *diarrhæa* simplex, non cruenta, non æquè dejiciens adultos; Ad cutem verò, *morbilli*, qui grassabantur simul publicè, non bonæ notæ, infantibus quippe,

cum alvo nimis lubricâ multum funesti: Quod & anno se-  
culi quarto per eosdem menses in urbe nostrâ factum fuit. Nec  
finis miseriarum; *variola* illis superveniunt per finem autumnii  
nimis graves, quibus vix nuper è duplici morbo licuit resur-  
gere. Tales autem morborum *epidemiarum concursus & successio-  
nes*, in genere memorabiles, arguunt multiplicem naturæ soli-  
citationem ad motus heterogeneorum s. in nobis genitorum  
s. aliundè susceptorum, non primas modò vias infestantium  
sed & sanguinem inquinantium, turbantium, expulforios.  
Quæ in *hypercatharsi* urget vis drastici purgantis stimulans  
& fundens communiter pro declarando *stimulo cum fermento*,  
qui hunc morbum ciet, in exemplum assumitur. Non demùm  
post longam rasionem & rosionem, sed citò, dejecit noster.  
Sic ambigit ferè dysenteria inter hæmorrhagiã & fluxû alvi,  
neutrius simpliciter modum tenens. Nam ex toto fortè diar-  
rhœa venit, cruoris expers, aliter quoque vomitus cruentus fu-  
os dejicit grumos: Et alvus cruentatur aliis sine torminibus,  
& torquetur colicis (*quorum multo pauciores sunt hodiè, ac olim:  
sed cur tamen non nulli?*) cum siccitate sine cruore, quam inte-  
stinorum pariter inflammatio aliàs constipat.

Haftenus, quæ causæ *proegumena & procatartica* huic qua-  
drent. Per quas an satisfactum sit quæstionibus: *Cur dysenteria  
sit æstatis solius, sed non omnis? Hujus, non alterius? Cur agrotarit  
noster, manentibus in salvo aliis? An verò fatalis lues ob vios sine di-  
srimineprehendisse credenda sit?* conflictus docebit. Nunc ab  
*ætiologiâ ad therapiam*. In partes ibi vocatus fuit Hippocrates. I-  
dem hîc daret *aphorismos 21. s. 4. s. 4. & ex novis Sponii 93. s. 5.*  
occasione quorum de *purgantibus, vomitorii, lacte* lactisque se-  
ro (quod recusavit noster; nescio cur, alii in deliciis habue-  
runt, et emolumento sibi magno fuisset prædicarunt) agi pos-  
set, nisi properandum esset ad talia, *natura* illi, quam *senex* in  
*epid. libr. morborum medicatricem* dixit, exhibita, quæ ipso re-  
rum usu huic passioni ejus & errori innotuerunt convenire, ut  
de

de modis atque viis evadendi commodioribus q̄s. melius informata, mediisve instructa, sibi ipsa potuerit prospicere.

Primum ex ordine illorum censuram subit famosa *Andromachi Theriaca*, cujus vindicem h̄ic non agam, quia tales publico non desunt. Sufficit, hanc remoram purgantium, uti superpurgationis sic urgentium fluxuum & spasmodorum præsidium, commune non uni familiæ polychrestum & epidemiorum prophylacticum, in specie per patriam ex publicâ priorum annorum famâ dysenteria celebrari antidotum, pro quo experientia multorum militat & ratio, quæ facultatis motricis exorbitantias subindè moderari suadet, approbatq; intentionem ducendi naturam ab alvo ad ambitum. In exhibendis ita opiatis nec temerarium nec timidum, nec prodigum nec parciolem justo decet esse. Noster bonum ipsi perhibet testimonium, facilis tolerantia, quietis nocturnæ, absque querelis de nimiâ excalescente aut exsiccatione. Quæ alternis noctibus interponebantur pilulæ, quia *theriacam* modo aula ducali in arcanis habito *concentratam* sistunt, noti per patriam usûs, peculiari modò disquisitione non habebunt opus. Illud itaque consilium, de repetendâ toties dosi theriacalium, de attemperandâ ipsâ personæ, morbo, reservanda noctibus, minuendâ versus morbi declinationem, &c. uti sub ipso usu, sic & à pleno curationis successu fuit confirmatum.

Alterum principale remedium, quod mane diei secundi cœp̄e exhiberi, & sub decursu morbi non malo non desit continuari ad usque plenum ejus decrementum, ferè male vult audire; sed præter causam. Non opus est, ut vindicias scribã *corticis peruviani*, quas dederunt solidè Alii. Rationes tamen adversus ipsum quorundam proferre non dubito, dum rationem istius curationis dare præsumo: Quanquam præcipuum momentum in ipso probato & ulterius comprobando successu situm fore, quivis credo judicabit. Redeunt autem quæ cōtra corticem solent objici ad duo capita, prætensæ rationis

& experientia: Sc. suspectum esse adstringens, quod sine evacuatione materiae peccantis morbos non tam curet, quam paroxysmos suspendat; quod loco unius minoris mali relinquat graviora. Atat, salvo respectu, quibuscunque debito, quemadmodum suspiciones tales sive comminationes apud aegros non paucos jam diu & saepe fuerunt deprehensae, tanquam non fundatae, sed vanae, sic etiam in hoc casu nil tale quidquam mali fuit insecutum. De curatione febrium alias alibi ex professo: Dysenteria modo hujus aegri non suspensa, non suppressa, non perversa fuit in pejus morbi genus. Nec desunt alii dysenterici, per illa tempora simile cum nostro beneficium experti, pariter superstites & fani. Unde recidivarum & reliquiarum, similiumve exprobrationes non ita deberent precipitari, sed, quia toties non confirmantur, eo ipso magis sollicitè examinari, cui verè sint imputandae: *agrone*, an *causa*, aut *remedio*? Certè *imprudens plebis usus* non probatur, etiam *legitimus* ultra quam par est jactabundè non venditatur; Sed nec in praejudicium veritatis tot bonos effectus & eventus subticere aequum est. Utinam talium *specificorum* veniant plura reliquis morborum generibus! Cum *adstringentibus* ergo non ita simpliciter in comparationem venire potest cortex, siccus ori potius quam stringens, nec licet ipsi temerè substituere adstringentia. Quod cum inter nos in febribus tentassent aliqui, eundem successum non obtinuerunt. Transeat modo, adstringentia vulgò usurpari adversus hunc fluxum, quippe quibus novi eandem imputari culpam, malè suprimendi morbi: Sed eam declinent, qui ea praescribunt. In hoc casu die tertio faeces praeter expectationem naturales incarcerationem talem non confirmant. Indè mucus & cruor non subito sed sensim remittentes etiam illi metui non respondent. Suppetunt, quibus ista methodo velut in herbâ suffocatum fuit malum, absque insequente noxa: sed ne orthostadiorum leve adhuc dicatur fuisse, (quanquam utique in tempore venire, omnium rerum

rerum primum est) selegi magis querulum, gravius dejectum, largiùs hæmorrhoon huic ægrum.

Rationes itaque moventes ad exhibendum huic ægro corticem ferè fundabantur in *analogismo*: Postquam per annos retrò sex adversus epidemiam intermittentium universalem & proteiformem toties laudabilem præstitisset operam laudatus cortex in anomaliis quoque morborum impetuosus, cum in vico urbis talibus injuriis exposito, ipso mense pristinae morborum exaltationis, noster olim febrium minimè ignarus aut expers, jam dysenteriâ corripereetur, videbatur omninò indicare non modò fluxus, sed & priorum passionum idea, & locum concedere consilio, quod sub finem pyretologiæ dedit patronorum corticis facile princeps *Mortonus*, de conjungendo sc. cortice cum opio. Credibile est, ad tale quid etiam respexisse, qui reliquerunt sua *monita & cautelas*, de habendâ potius ratione moris febrilis & maligni in epidemiâ dysenteriâ, quàm alvi simpliciter. Forsan, quàm facilis ad novum morbum concipitur noster, tam memor pristini remedii. Ita subigi & deleri fermentum venenatum si possit, & roborari tonus partium illarum, quas in negotio morborum experimur tanti esse momenti, tunc non erit periculum de *pretensâ materia peccantis detentione*, sed hoc ipso benè curabitur, ne fiat ejus ulterior proventus.

Ista verò intelligenda esse de cortice non solo & simplici, sed pro exigentiâ morborum cum aliis convenientibus mixto, composito, & qs. condito, historia docet. Vix unquam ille solus præscribitur à medico, etiam hîc fuit conjunctus cum socio, quem *chaquerille* vel *schacarillam*, barbaro utique nomine, nec græco nec romano, res enim ipsa olim fuit ignota, uti barbaram cum illâ *gannaperide* patriam habet, vocant. Botanicam horum notitiam nemo, credo, expectabit à me, sed à curiosis Gallo-Hispanorum, quorum *Peru* est. Sufficit modò conjunctos rite hos cortices dare mixturam, acriusculo aromatico sapore suo gratiorem, & viribus, ut sub longo quidem hætenus usu videtur, potiorem. Ulterius condire cortices *analepticiis, balsamicis, alexipharmacis, anodynis*, sed his ipsis tanquam condimentis parcè & in progressu adhuc parcius uti, consultum fuit. Talium accessione adaptari hoc remedium ad varios morborum genios potest, declinari forsan etiam opprobrium quorundam: corticem uno tempore non ita fuisse utilem, ac altero. Singula prolixius prosequi jam non licet; de *pulvere anodyno & extracto bezoardico* consuli possunt & merentur *disputationes varia*, quas reliquit publico bono *præsidis B. Parens*, easque inter illa de *Indicatione symptomatum*, Inaugura-  
lio



his quondam *desideratissimi mei Parentis*. Superfedeo formulis, vehiculis,  
& cæteris, minus controversis.

Nam supersunt duo illa *gummi*, quæ cum laudatis hæctenus non pug-  
nare, sed benè simul consistere posse videbantur, simpliciora, insipida,  
quæ ad ventris tormina & stricturas vicinæ dolorosas proficua passim  
commendantur, dicuntur ab olim meatus ab excoriatione denudatos ma-  
lè habentes obducere, & obtundere acrimoniam. Cùm his vehiculo ef-  
set opus, quo commodius sumi possint, quia in prolixam solvuntur mucil-  
laginem, *Lac* autem naturale & artificiale s. *emulsio* amygdalarū locū mi-  
nus haberet, circumspicere oportuit de alio humido: Convenit tandem  
medicū inter & ægrum, pro isto fine advocare *theam* quandam *germa-  
nicam*, ut vocant Species pro infuso ex selectis pro diversitate affectuum  
herbis indigenis, cui quippe mori moderno assuetus æger & facilius ad-  
mittebat & ferebat benè compositum ex tribus potum calidum, ori non  
adeò ingratum, viribus autem insignem, nec *Saccharo* destitutum, quod  
pro usu quidem medico non ita formidandum videtur. *Millefolii* vim si-  
stendi sanguinem celebrant botanici adversus hæmorrhagias & fluxus o-  
mnis generis: *Hypericum* vulnerarium, diureticum, anthelminticum:  
*Scordium* insuper alexipharmacum audit.

Ex diætâ paucis tria tangam: Primò recurrit hîc *gelatina cervino-e-  
boracea*, quam succinctis thesibus nuper ventilationi publicæ exposui,  
quæ cibo parco & facili miscebatur non parcè, dabatque mixturam leni-  
endo & nutriendo corpori accommodam. Secundò, *decoctum ordinari-  
um* specimen præbet vexationis medicæ, quàm perturbari possit & soleat  
curatio malo regimine, rerum etiam per se innoxiarum usu, sed perverso;  
& quàm calor corpori afflicto, sensili, per frigus ita facile lædendo sit  
proficiuus. Tertiò non difficilis fuit æger ad abstinendum aliquandiu à  
*vino*, quod, dum morbus in vigore & statu ancipiti est, tutius omittitur:  
Datum id tandem fuit, non tam quia enixè desideratum, quàm quia de-  
clinante morbo circumspicere dari posse videbatur, tanquam medicamen-  
tum, parcè, pro clausulâ prandii, cum paucis pane saccharato, ad modum  
tragææ stomachicæ. Tandem, relectis ad finem paginæ quæ porrò exa-  
minari potuissent, subsisto, nec ultrà disputabo, quem morbus decursum  
atque exitum fuisset habiturus, præscriptorum & usurpatorum sine ope  
si fuisset; Id Deus novit, qui laudetur, quod per ista media

ægrum sanarit: *Ipsi soli  
gloria!*

T A N T U M!